

cum volumus, *ita ut adæquata ratio, cur ponatur actus potius quam non ponatur, sit electiva determinatio voluntatis, conc.; ita ut adæquata ratio, cur ponatur, sit inclinatio instinctiva et ineluctabilis voluntatis, neg.* Cum ergo dicitur, actum necessarium oriri a voluntate, cum vult, eatenus id verum est, quatenus significatur, hujusmodi actum, ex. gr., amorem beatitudinis, dum de ea cogitat mens, consentaneum esse naturæ et inclinationi voluntatis, cui minime opponitur, sed potius ad præfatum actum ex interna vi et sponte determinatur. At vero, si verba illa: *facimus cum volumus*, sensu obvio et naturali accipiantur, tunc significant, actum illum esse liberum ac proprie in nostra potestate, quem ideo elicimus, quia volumus, ita ut ratio, quare existat potius quam non existat, quare existat sic et non aliter, sit propria determinatio et electio voluntatis.

Obj. 4.^o Quod aliunde necessariam determinationem accipit, libere non operatur; sed voluntas, dum actus, qui liberi dicuntur, elicit, aliunde necessario determinatur, nempe, ab ultimo judicio pratico intellectus; ergo vera libertate non gaudet.

Pro hujus argumenti solutione præ oculis hæc habere oportet:

1.^o Judicium intellectus circa bonum, aliud est *speculativum*, quo dijudicatur, objectum esse bonum vel malum in seipso; aliud *practicum*, quo intellectus judicat et intus asserit, objectum, prout præsentibus subest circumstantiis, a voluntate esse eligendum vel respuendum.

2.^o Duplex existit philosophorum sententia circa nexum, qui intercedit inter electionem voluntatis et judicium practicum intellectus. Existimant aliqui, voluntatem omnino dependere ab ultimo judicio pratico intellectus, ita ut ex hoc judicio semper determinetur voluntas ad actualem electionem voluntatis. Opinantur alii, actum voluntatis nexum necessarium minime includere cum quolibet pratico judicio intellectus, ita ut voluntas possit ex innata vi eligere contrarium ejus, quod sibi per quodcumque intellectus judicium

offertur. Quæ posterior opinio nobis magis arridet, non solum quia conditioni voluntatis liberæ magis consona videtur, sed præsertim quia respondet sensus intimi phænomenis: experimur siquidem, posito seu prælucente quolibet iudicio intellectus circa bonum particulare et finitum, posse nos actum judicio intellectus consentaneum cohibere, vel etiam contrarium quandoque eligere. Itaque, si hæc sententia ut verior habeatur,

Responderi potest negando minorem argumenti. Quandoquidem, in hac sententia, falso affirmatur, actualem voluntatis electionem necessario determinari a judicio pratico intellectus. Quod ad me attinet, existimo, electionem actualem voluntatis determinari quidem a judicio pratico intellectus, *ut plurimum et contingenter*, sed minime determinari *semper aut necessario*¹.

Quod si quis priorem tueatur sententiam, ad objectionem respondere poterit negando cons. Nam apud hujus opinionis patronos, quamvis voluntas, in eligendo, ultimum judicium practicum intellectus semper et necessario sequatur, libera tamen existit, et perseverat electio, quia illud judicium potestati voluntatis subjicitur, quatenus hæc libere potest intellectum applicare et movere ad hæc potius quam alia motiva in objecto proposito pensanda atque ponderanda.

Obj. 5.^o Angeli et Deus sunt perfectiores homine; sed non inest eis indifferentia ad sic vel aliter agendum, sed ad agendum uno modo determinati sunt; ergo libertas sponta-

¹ Leibnitz, cujus sane theoria *rationis sufficientis*, sicut et optimismi, cum hac sententia non facile conciliatur, in eam tamen, non satis sibi constans, descendere videtur, dum ait: "Quelle perception qu'on ait du bien, l'effort d'agir après le jugement, qui fait, à mon avis, l'essence de la volonté, et est distingué... C'est ce qui fait que nôtre âme a tant de moyens de résister à la vérité qu'elle connaît, et qu'il y a un si grand trajet de l'esprit au cœur... Ainsi la liaison entre le jugement et la volonté n'est pas si nécessaire qu'on pourrait penser." *Essai de Theod.*, part. 3.^a, núm. 311.